

Wolhart

Officia hom.  
naturalia  
erga  
posteros.

1744





*24*  
SPECIMEN

*47*

JURIS NATURALIS

OFFICIA HOMINIS  
NATURALIA

ERGA

POSTEROS

*Fo* EXHIBENS;

*2644* AUCTORE

JOHANNE HENRICO WOLFART


J. U. L. & Professore Publ. in Illustri Gymnasio  
Hanovensi.

---

HANOVIAE, Typis Viduae JOH. CHRISTOPH. GEBAUER.  
M D C C X L I V.

CICERO in Quæst. Tuscul. Lib. I. Cap. 15.  
OPTIMUS QUISQUE MAXIME POSTERI-  
TATI SERVIT.





## DE OFFICIIS NATURALIBUS ERGA POSTEROS.

§. 1.

**O**fficia naturalia, definiente ill. WOLFIO in Philosoph. Pract. Univ. Definitio off. Part. 1. §. 225. sunt actiones secundum legem naturalem ciorum naturalium, vel præceptivam vel prohibitiyam determinatae.

§. 2.

Per Posteros hic intelligimus homines, qui post fata nostra super-  
funt, sive nobiscum jam vixerint, sive demum post mortem nostram sterorum.  
vivere inciant, sive porro à nobis descendant, sive nulla nos con-  
tingant cognatione.

In eodem, latiori scilicet, significatu sèpissime terminus in lingua nostra vernacula receptus Nachkoemlinge sumitur, nec genius linguae latinæ eundem respuit. Hinc in l. 1. C. Commun. de leg per posteritatem indicatur posterum seculum vel homines, qui post nos nascuntur vel vivunt CALVINUS in Lex. Jurid. hac voc. & immunitates generaliter tributas eo jure, ut ad Posteros transmittantur, in perpetuum succendentibus durare, docet MODESTINUS in l. 4. ff. de jure immunit.

A 2

§. 3.

## §. 3.

*Definitio officiorum erga Posteroros naturalium.* *Officia igitur erga Posteroros naturalia* denotant actiones, quas intuitu Posterorum lege naturali vel perpetrare vel omittere debemus (§. 1.).

Sic Officia erga Posteroros naturalia comprehendunt non actiones solum positivas seu facta commissionis sed actiones etiam privativas seu facta omissionis.

## §. 4.

*Officia erga Posteroros naturalia eadem sunt cum officiis erga alios in genere.* Cum Posteri sint homines, qui post obitum nostrum supersunt (§. 2.); per se manifestum est, ea officia, quae lege naturali erga omnes in universum homines sunt obcunda, erga Posteroros quoque exercenda, atque haec cum illis prorsus eadem esse.

Non obstat morte omnia solvi Novella 22. Cap. 20. pr. ea enim, quas officia erga Posteroros involvunt, obligationes, nobis viventibus, atque eo statim tempore non tantum nascuntur, sed etiam executioni dandae sunt, quo occasio nobis sepe offert, Posterorum commodis propiciandi eorundemque perfectionem promovendi. Satis mirari igitur non possumus, Doctores Juris naturalis, quos nobis ad minimum evolvere licuit, CICERONIANI illius in Quæst. Tuscul. lib. I. Cap. 15. Optimus quisque maxime posteritati servit: prorsus oblitos, & apud eosdem altissimum esse de officiis erga Posteroros silentium. Beatus quidem THOMASIUS officia erga mortuos, intuitu sepulturæ observanda, in Cap. 10. lib. 3. Instit. Jurispr. div. examinanda sumvit, sed nec ibidem ulla officiorum erga Posteroros vel vola vel vestigium occurrit, cum tamen ipse Vulgus eorundem notiones, licet confusas, habeat, & se obligatum credat, in determinandis suis actionibus posteriorum quoque rationem habere.

## §. 5.

*Officium generalissimum erga posteroros.* Quoniam in studio promovendi aliorum perfectionem pro virili consistit generalissimum erga alios officium, quod reliqua omnia ambitu suo complectitur WOLFIUS cit. Tr. §. 223. Studium quoque promovendi perfectionem posteriorum est generalissimum erga posteroros officium, ex quo deducenda sunt specialia officia posteris debita (§. 4.).

## §. 6.

## §. 6.

Officiorum hominis erga alios naturalium quædam animam, Officia erga  
quædam vero Corpus, quædam denique statum externum respi- posteros natu-  
ciunt WOLFIUS in Jur. Nat. Part. I. §. 169. hinc etiam officia erga ralia triplicia  
posteros triplicis sunt generis, & quædam animam, quædam Cor- sunt vel erga  
pus, quædam porro statum externum posteriorum concernunt (§. 4.) animam, vel  
illarum hæc perfectionis status externi, ista perfectionis Corporis, erga statum  
illa autem perfectionis animæ posteriorum promotionem involvunt externum.  
(§. 5.).

## §. 7.

Quia eo in casu, quo officium erga se ipsum & officium erga Regula in col-  
alios inter se collidunt, officium erga se ipsum vincit officium lisione officii  
erga alios WOLFIUS in Philosoph. pract. univ. Part. I. §. 229. sequitur, erga ipsum  
in casu collisionis officii erga se ipsum cum officio erga posteros il- cum officio er-  
li quoque potius esse satisfaciendum, quam huic ga posteros ob-  
servanda.

Haud raro homines coeo amoris affectu erga posteros, in primis  
cognitione conjunctos, ducti contra hanc regulam, etiamsi adhuc  
incertum sit, an extituri sint peccant, & erga se ipsos, proprio  
defraudato genio, injurii sunt, ut posteri eo laetius vivere que-  
ant. Cujus stoliditatis aliæ adhuc rationes, voluntatem moven-  
tes, præter intempestivum amorem erga posteros esse possunt, ut sunt  
vanus honor ex futuro splendidioris & prolixioris familiae her-  
ciscundæ judicio sibi promissus, laus à posteris expectata, inanis  
metus &c.

## §. 8.

In collisione officiorum hominis naturalium erga coeuros sive eos, qui nobis- Regula in col-  
cum uno eodemque tempore vivunt, cum officiis erga posteros, illa hæc lisione officio-  
vincunt. Præsentis quippe necessitatis major habenda est ratio, quam ram erga coe-  
futuræ WOLFIUS in Tr. von der Menschen Thun und Lassen § 516. ros cum offici-  
sed officium coevis exhibentes præsenti necessitatæ ac commodo-  
prospicimus, ubi è contrario idem posteris præstare cupientes futu-  
rae & adhuc maxime incertæ necessitatæ succurrere intendimus  
(§. 2. & 3.); quapropter etiam officia erga coeivos officiis erga  
posteros in casu collisionis sunt præferenda.

Sæpiissime homines coevorum commodum posteriorum utilitatæ  
postponunt, atque illos fame, inedia, frigore &c. laborare, imo  
perire finunt, ut his eo major subsidiorum vitæ copia relinqua- tur;

tur; quo tamen aperte contra rationis dictamen agunt, & justissimam aliorum reprehensionem incurunt. Nec exempla prorsus deficient, assertum nostrum confirmantia, quod quandoque justo tenuiora salario assignentur, ut, aucto in dies ærario publico, posteri eo ampliora accipere queant, quodque passim ipsæ pecuniae, in usum pauperum destinatae, ad meliorem posterorum sustentationem asserventur, & quotannis augeantur, pauperibus, qui nunc vivunt, ob parcissimas, quas inde accipiunt, eleemosynas esurientibus. Sæpe non minus commodum posteriorum homines, meliora licet edociti, solum prætendunt, ut hoc injusto fuso injustæ officii, coævis debiti, denegationi justitiae colorem, ut sibi persuadent, affingere queant.

## §. 9.

*Regula in collisione unius officii erga posteros cum alio tenenda,* Quoniam duobus officiis hominis erga alios inter se collidentibus, illud alterum vincit, ad quod major est obligatio *WOLFIUS* in *Philosoph. præl. univ. Part. 1. §. 230.* vel ad quod speciali ratione obligatur *IDEM in Jur. Nat. Part. 1. §. 668.* in ejusmodi quoque casu collisionis officiorum erga posteros illud alteri præferendum est, intuitu cuius subest vel major obligatio, vel specialis obligationis ratio (*§. 4.*).

Rationi itaque omnino repugnat, quando homines soli decori vel jucunditati vitæ posteriorum prospicere cupiunt, necessaria vitæ subsidia ipsis vel prorsus adimendo, vel ad minimum eadem minuendo; cum tamen nulla probatione indigeat, & ab omnibus concedatur, pessime hac ratione posteritati consuli, atque potius esse, aliquid ad vitæ posteriorum conservationem, quam ad decorum vel suavitatem vitæ eorundem conferre, ubi utrumque à nobis simul fieri nequit. Justa proinde sunt querelæ, quæ passim à Nobilibus atque ipsis Imperii Proceribus funduntur, quarumque forsan adhuc majores futuri temporibus audientur, quod extruendorum Castrorum commodorum & amplissimorum causa vel pro acquirendo Jure parum utili, si voluptatem vel honorem demiseris, ex gr. *jure venandi, majori dignitate &c.* magnas amplissimasque terrarum possessiones alienaverint, vel easdem tanta æris alieni mole oneraverint Majores, ut, solutis inde usuris, tenues admodum proventus illis remaneant. Sic porro speciali ratione parentes obligantur ad perfectionem & felicitatem liberorum promovendam;

quare,

quare, si posteriorum, nulla cognatione te attingentium, commo-  
dum non nisi cum neglectu posterorum, à te descendantium, pro-  
movere poteris, hi utique illis sunt præferendi.

## §. 10.

Omni studio in id eniti debemus, ut alii ad quascunque virtu-  
tes tam intellectuales quam morales, quantum in nobis est, perdu-  
cantur, atque earundem compotes reddantur *WOLFIUS in Jur. Nat.*  
*Officia natu-*  
*ralia erga*  
*animam po-*  
*Part. I. §. 638. Quamobrem diligentiam nostram in iis desiderari*  
*serorum,*  
pati haud debemus, quæ tam perficiendo intellectui quam emen-  
dandæ voluntati posterorum conducunt (§. 3. 4. 5. & 6.) Hinc  
Scientiæ atque artes ad posteros per scripta librosque propagandæ  
sunt, cum, teste *CICERO in Orat. pro Sylla*, literæ posteritatis causa re-  
perta sint, quæ subsilio oblivioni esse possent. Neque ullo modo condonari  
potest iis, qui inventa sua, quæ faciunt ad singulare scientiarum vel  
artium incrementum, supprimunt, occultant, eaque morte sua  
perire sinunt. Damnanda porro omnia scripta, statuæ, picturæ &c.  
quæ ad errores, superstitionem & vitia posteros perducere possunt.  
Facta vero aliaque media accurate annotanda sunt, quæ posteris  
virtutis, in primis vero pietatis, quippe quæ reliquas omnes virtutis  
species ad eminentiorem gradum elevat *B. THÜMMIGIUS in Instit.*  
*Philosoph. Moral.* §. 614. & 615. studium ac culturam gratiorem, vi-  
tiorum autem fugam faciliorem reddere, eosque ad illam æque ac  
ad hanc stimulare possunt. Ceterum, ut virtutum æque ac sci-  
entiarum & bonarum artium studia sedulo promoveantur, & ad po-  
steros transferantur, inde vero Reipublicæ quo cunque tempore uti-  
lia sistantur membra; provida non minus cura, ut Scholæ & Aca-  
demiaæ constituantur, & constitutæ non solum nutriantur, sed et-  
iam, si opus est, earum defectus corrigantur, habenda est, quam  
sollicite cavendum, ne Doctorum vel Magistrorum artium numero  
adscribantur, nisi qui solida Doctrina imbuti vel præclarri sunt. Ar-  
tifices, tyrones optime instituturi.

Non itaque sine ratione *B. SCHANNAT in Prefat. Hist. Episc.*  
*Wormat.* curam ac sollicitudinem, qua antiquitus bono Scholarum  
publico invigilarunt Ecclesiarum Wormatiensium Decani & Ca-  
pitula de prædicat, atque eapropter eorundem ordinationes de Anno  
1260. & 1307. dignas, quæ suo Codici probat. num. 147. & 187.  
insererentur, judicavit. Nec immerito inter egregia encomia

C. A.

CAROLI M. Imperatoris refertur, quod constituerit Scholas, ut ex CONRINGIO notat STRYKE in Diff. de Jure Precep. Cap. 2. n. 3. quæ quadruplicis erant generis, alia parochiales, alia episcopales, alia abbatiales, alia denique palatina seu in ipso Regum palatio FLOERCK. in Obs. ad Schilteri Inst. Jur. Can. lib. 1. tit. 13. pag. 267. quarum discipuli nominabantur aulici palatini, &c pueri aulici HEINECCIUS in Diff. de Jur. Princ. circa Civ. Studia §. 8. Scholarum vero rectionem & inspectionem per singulas urbes singulis Episcopis attribuit LEHMANN. in Chron. Spir. lib. 2. Cap. 33. pag. 124. conf. BRUNNEMANN. in Jure Eccles. lib. 1. Cap. 6. membr. 12. §. 15. in fin. atque inde morem hodie adhuc receputum Theologis vel Clericis demandandi munus docendi in Scho- lis derivavit GLAFET in Histor. Germ. polem. Cap. 2. thes. 15.

## §. 12.

Officia natu-  
ralia erga  
corpus posse-  
rum.

Promte ac lubenter ea facere debemus, quæ ad conservatio-  
nem alienæ vitæ, sanitatis, integratatis membrorum, præcipue ve-  
ro organorum sensoriorum, ac commoditatem denique & jucu idí-  
tatem vitæ aliorum conferre valemus WOLFUS in Jur. Nat. Part. 1.  
§. 641. 642. & 645. Quæ igitur hac ratione posteris utilia atque in  
potestate nostra posita sunt, ea non sunt negligenda, sed omni po-  
tius diligentia curanda (§. 3. 4. 5. & 6.). Sic in gratiam quoque  
posteriorum horti, silvæ, vineæ & agri colendi, res pecuaria faci-  
enda, commerciorum, fluminum, rivorum ac piscinarum, nec non  
conservationis, imo multiplicationis specierum earum ferarum, qua-  
rum carnes nutriendis hominum Corporibus inserviunt, cura ha-  
benda, resque aliae, quas natura vel sua sponte non profert, vel  
sola producere nequit, aut patrium forsitan denegat solum, quæque  
ad vitæ conservationem, commoditatem ac jucunditatem confe-  
runt, arte ac labore à nobis parandæ aut per commercia ab aliis  
acquirendæ sunt, ne ipsis desit cibus ac potus salubris & sapidus,  
nec desit lignorum copia, neque deficiant vestimenta necessaria ac  
commoda, atque ædes commodæ. Media morbos vel avertendi vel  
curandi sollicite annotanda, nec reticenda, sed memoria postero-  
rum commendanda ratio vitæ, quam vel alii vel nos ipsi duximus,  
vel longævæ vel brevioris. Sectio cadaveris nostri non prohibenda,  
sed potius præcipienda eo imprinis in casu, quo conflictati sumus  
morbo, cuius vel causa, vel qualitas vel ratio medendi Medicis  
ignota fuit, ut hi promptissimis atque efficacissimis mediis, quæ  
nobis

nobis denegata fuerunt, in casibus obvenientibus similibus aliis succurrere queant, neque cogantur, solis conjecturis locum concedere, atque ad eas medicamenta attemperare. Locus non minus salubris, fertilis atque gratus, nec non ab hostilibus aliorum insultibus, quantum fieri potest, tutus ad extruendas urbes & ædificia eligendus, non vero posteris locus domicilii infalubris, sterilis, horridus atque tristis, vel talis relinquendus, ubi secure habitare resque suas custodire nequeunt. Pontes quoque cum reliquis ædificiis firmiter sunt extruendi, & viæ publicæ ac plateæ in eum statum collocandæ, ut per longam annorum seriem iisdem utentium securitati nulla obstacula ponant, præsertim cum inde etiam commercia in favorem posteriorum nutriantur atque foveantur. Nemora porro ac vireta sunt plantanda, ac plantata curanda, conservandæ species earum avium, quarum cantus suavis atque amoenus est, aliarum denique rerum, fontium in primis salientium, atque cataractarum ratio habenda, quæ sensus posteriorum demulcere, iisque innocuam creare possunt voluptatem. E contrario sollicite cavendum, ne uila tædia sensibus posteriorum excitentur, quo in specie pertinet, ut in Instrumentis publicis iisque, quæ posteris scitu sunt necessaria vel utilia, consignandis scriptura non legibilis, cuius causas sigillatim recenset *Exc. BOEHMER.* in *Diss. de Script. non legib. Cap. 1. §. 10. & seq.* evitetur.

Quam curam quondam Francorum Reges circa colendos conservandosque hortos, silvas, nemora, pomaria, vireta, vineas &c.

habuerint, & quam provide inde prospexerint posteris, testantur eorundem Constitutiones apud BALUZIUM in Capitular. Reg. Franc. Tom. I. pag. 139. tit. 21. pag. 336. Cap. 36. 37. & pag. 510. Cap. 18. & 19. de qua cura etiam conferri merentur LEYSER. in Jure Georg. lib. 3. Cap. 7. 8. 9. 10. & 11. §. 17. nec non KREBS de lign. & lap. Part. I. Class. 2. Sect. 2. ubi in specie §. 3. n. 6. monet, jubendos esse subditos, quo non minus earum arborum plantandarum habeant curam, que sero ferunt fructus, quorum perceptionem non ipsi, sed posteri queant sperare, quam talium, qua cito solent excrescere, & ob quarum proximiorum spem quisque vel unice iis solis plantandis indulget. Laudanda porro eadem de causa ordinatio LUDOVICI Landgravi Hesse p. m. de 10. Febr. 1665. de plantandis arboribus frugiferis locisque desolatis in arbusta & vineas convertendis apud STISSE R. in seiner Forst- und Jagd-Historie in Adj. Lit. a a a. sicut quoque specialem Constitutionem adversus Incensores silvarum conceptam ex L. Longobardorum BALUZ. Tom. 2. pag. 333. Cap. 5. Extant non minus peculiares Regum Francorum leges de pontibus & viis publicis restaurandis ac emendandis, quas vide apud GOLDAST. Tom. 3. Conflit. Imp. pag. 162. Cap. 25. & pag. 246. Cap. 20. ut & BALUZ. Tom. I. pag. 537. Cap. 9. pag. 546. Cap. 20. pag. 639. Cap. 20. pag. 776. Cap. 11. & 12. & Tom. 2. pag. 69. Cap. 4. nec non ECCARD. in Leg. Franc. Sal. & Rip pag. 195. qua de cura circa vias publicas lectu paritur digna est l. un. ff. de via publ. & si quid in ea fact. esse dic. l. 1. ff. de via publ. & itin. publ. ref. & ordinatio Brunsvico - Lüneburgensis apud FABR. in seiner Staats-Cantzley Tom. 4. pag. 366. & seq. & addi mententur KREBS. in cit. Tr. Part. I. Class. 2. Sect. 3. §. 9. n. 3. Class. 6. Sect. I. §. 11. n. 2. Sect. 2. §. 19. n. 2. ut & SCHRAMM.

SCHRAMM. in Tr. de Statuis Mercur. Cap. 2. §. 11. ubi simul  
in Append. n. X. Reformationem politicam Imperatoris SIGISMUNDI  
allegat, vi cuius mulctæ Adulterorum & Meretricum in  
reficiendas & purgandas vias publicas impendi debent: Was  
do die Unzüchter einnehmen/ soll auff die Ebenen und  
in die Pfützen gebraucht werden. Wenn als die Weg  
schwärlich unsauber sind/ so soll man das Geld meng-  
lichen unter die Füsse werfen/ so würt das sündig  
Geld zu guten pracht/ und würt die Sünd vertreten  
vide integrum Constitutionem apud GOLDAST. in seinen  
Reichss-Satzungen Part. 2. pag. 130. Grata m porro sui me-  
moriam apud posteros condiderunt Veteres, in primis Germani,  
dum propriae & posteriorum securitati providentes non solum  
urbes validissimis muris circumdederunt, sed etiam tot Castra  
in montibus extruxerunt, atque penates suos plerumque posue-  
runt vel in iisdem, ubi simul aer atque aqua purior & sa-  
lubrior est, quam in vallibus, vel prope ad flumina & rivos,  
ubi habitationes sunt gratiore atque commodiores, quam in  
locis fluminum & rivorum beneficio destitutis; inde prolixum  
catalogum Castrorum & Oppidorum terminationem Berg/  
Stein/ vel Gels habentium nobis sistit FREHER. in Origin.  
Palat. Part. 2. Cap. 7. pag. 23. & sicuti BRUCTERI vel  
BURCTURI à suis Burgis frequentibus & claris dicti fuerunt,  
ut videtur EIDEM cit. loc. & pag. ita RIPUARII medio ævo  
vocabantur, quod ad ripam porissimum conmoditate flumen  
utentes oppida haberent IDEM Part. 2. Cap. 8. pag. 27. per-  
plures quoque urbes à fluminibus & rivis nomen acceperunt  
LEHMANN in Chron. Spir. lib. 1. Cap. 5. pag. 13. & 14.  
& voce pagi veniunt innumere Ville juxta unum eundemque fluvium  
rivumve positæ FRITSCH, de jure ac Statu Pagor. Germ. Cap.

B 2

1. §. 2.

I. §. 2. & FREHER. cit. loc. Part. I. Cap. 5. pag. 54. Singulari pariter ratione posteritati prospectum fuit in diversis Germaniae provinciis per varias Constitutiones, ad conservandas tam avium, quam piscium & aliarum ferarum species & evitandam nimiam earundem extinctionem tendentes, atque capropter modum & tempus auctupii, pescationis & venationis præstituentes, quas nobis exhibit FRITSCH. in Corp. Jur. venat. Forest. Part. 3. pag. 6. 10. 17. 55. 63. 67. & 525. conf. LEYSER, in Jur. Georg. lib. 3. Cap. 12. n. 25. & seq. Cap. 13. n. 43. & seq. & Cap. 14. n. 26. & seq. Neque silentio præterite possimus speciale illud Edictum de Anno 1693. quo Sereniss. quandam Elector Brandenburgicus FRIDERICUS non capturam solum lusciniarum penitus interdixit, sed simul etiam dispositus, ut caveis inclusæ in statum libertatis naturalis restituantur FRITSCH. cit. loc. pag. 527. & LEYSER. cit. loc. Cap. 13. n. 42. Quid tandem ratione Instrumentorum Notariorum circa integratem scripturæ ejusque lectionis disposuit MAXIMILIANUS I. Imperator in Ord. Notar. de Anno 1512. §. 31. illud illustrat atque explicat BOEHMER. in cit. Diff. Cap. 4. §. 2.

## §. 12.

Officia natura  
ralia erga  
statum ex-  
sernum po-  
ferorum,

Quilibet homo alium quemcunque, ope ejus indigentem, juvare debet, ut ea consequatur fortunæ sive status externi bona, quæ in ejus potestate posita sunt WOLFIUS in Jur. Nat. Part. I. §. 612. operam quoque dare teneatur, ut alii aliorum acquirant amicitiam IDEM cit. loc. §. 608. & 636. minime vero alios  
aliis

aliis inimicos reddere, vel eosdem in ignominiam aut contemptum aliorum adducere debet *IDEM* in cit. Tr. §. 764. 794. & 819. Quapropter ipsa lege naturali obligamur ad paranda ac plantanda, quæ posteriorum patrimonium augent, ipsisque utilitatem præbent, et si inde quoad nos vel minimum vel nullum pro rorsus commodum sperare nobisque promittere queamus. Aliorum porro amicitia posteris concilianda, inimicitia vero ab iisdem declinanda; *amicitia* enim, docente ARISTOTELE in lib. 8. Ethic. Nicomach. Cap. 1. est res ad vitam degendam maxime necessaria, & nemo est, qui sine amicis vitam sibi optabilem esse ducat, etiam si ceterorum bonorum omnium copia circumfluat, saepe quoque, ut indubia experientiæ fide compertum habemus, qui viventibus prodesse vel nocere nequivierunt, eorundem posteris prodesse vel ad minimum nocere potuerunt. Qua de causa singularis adeo obligatio ad testamenta ita ordinanda, ut omnis inimicitia & odium inter superstites evitetur. Jura pariter posteris tam utilia ac proficia, quam honorifica sunt acquirenda, & acquisita conservanda, nec non in ipso transferenda, è contrario vero ea, quæ onerosa sunt, vel auctoritatem imminuant, ab ipsis avertenda, multo minus aliquid patrandum, quod posteris, in primis sanguinis vinculo conjunctis, ignominiam & contemptum apud alios parere, vel aliqua solum ratione corundem famam conspurcare possit (§. 3. 4. 5. & 6.).

Hinc bellissime dixit SENECA in lib. I. controv. 6. Quidam avitas paternasque flagitiis obruerunt imagines, quidam ignobiles natum fecere posteris genus. In illis non servasse quod acceperant, maximum dedecus: in his, quod nemo dederat, fecisse laudabile; atque eos,

qui primi ex familia sua magistratus curules ceperunt ac imaginem sui prodiderunt, novos homines, quasi generis ac posteritatis sua principes, appellarunt veteres Romani, ut ex CICERONE & PLUTARCHO observat SIGONIUS de antiquis Jur. Pop. Rom. Tom. I. lib. 2. Cap. 20. ubi è contrario apud Germanos quondam Proceres Regni, avita quippe nobilitate conspicui, maiores natu conf. ab ECKHARD in Comment. de Reb. Franc. Orient. Tom. 2. lib. 28. pag. 198. & PISTORIUS in seinen Historisch- und Juridischen Anmerkungen part. I. Cap. I. §. 7. nec non meliores natu Exc. KOPP. in Tr. de insign. diff. Com. S. R. J. & Nob. immed. Sect. I. §. 3. & carnis origine nobiles audiverunt Cel. Estor. in Tr. de Minister. Cap. 5. §. 257. Specialiora quidem adhuc adducere possemus ex gr. de posteris liti bus non implicandis, matrimonio porro inequali vitando conf. Tractat. nostra de Matrim. ad morgan. ejusque Spec. §. 39. ac vitanda morte ignominiosa, edendis autem factis gloriofis, incitamentum quippe virtutis apud posteros præbentibus, ut de JULIO CÆSARE in templo HERCULIS simulacrum ALEXANDRI M. adspiciente ex SUETONIO refert MATTHIAS in Theatr. Hist. lib. 3. pag. 17. atque inde grata sui memoria posteris & in gratiam posteriorum relinquenda vid. SCHROETER de Connub. Imp. Cap. I. §. 10. II. 12. 13. 14. & Cap. 2. §. 7. nec non de necessitate ac utilitate Archivorum, in quibus varii generis scripturæ reconduntur, ut res gestæ & actæ posteris etiam constent, & jura cujusque defendantur & conserventur MULTZ in Represent. Majest. Imper. Part. 2. Cap. 28. n. 4. & 13. de jure pariter primogenitura & majoratus, confraternitatibus, renuntiationibus filiarum illustrium &c. quæ contra jus regulare recepta sunt, quoniam prudentes antiqui è Republica esse putarunt, postea conservari familiarum splendorem, qui sine opibus & divitiis propagari nequit, ut bene gestorum memoria majorum

cum

cum nomine & bonis in perpetuum superstites ad imitationem virtutis & actionum impelleret KNIPSCHILD. de Fideicom. Famil. illastr. Cap. 7. n. 4. 6. 58. & seq. & ne divisio discordiarum & bellorum semina posteris relinqueret Illustriſſ. CO- MES à SOLMS in Diff. de Majoratu §. 3. Sed haec non conveniunt instituto nostro, cum unusquisque cognitis veritatibus generalibus, unde speciales pendent, in has propria meditatio- ne incidere queat.

## §. 13.

Ut tandem eo lubentius ac promptius officiis erga posteros in (§. 10. 11. & 12.) enumeratis, reliquisque specialibus, sub iis- dem contentis, satisfaciamus, neque operam nostram aliquo in casu desiderari patiamur, egregie juvat, prout generaliter B. THÜMMIGIUS in Institut. Philosoph. Mor. §. 542. intuitu officiorum erga alios monuit, ut, si qua nobis sese offerat occasio posterorum commodis inserviendi ac iisdem prospiciendi, regulæ optimi SAL- VATORIS nostri MATTH. Cap. 7. v. 12. Quod tibi fieri vis, idem alteri fe- ceris, & quod tibi fieri non vis, idem nec feceris alteri; recordemur, quæ hoc modo specialiter ad officia erga posteros applicari potest: Quod tibi à majoribus tuis factum esse vis, idem quoque posteris tuis facias, & quod tibi ab illis factum esse non vis, idem nec his facias. Ne vero haec regula in abusum, qui rectum ejusdem usum minime tollere potest, trahatur, probe observanda sunt ea, quæ WOLFIUS in Tr. von der Menschen Thun und Lassen §. 823. annotavit, quod hominis videlicet, eandem rite applicaturi, conscientia recta esse debeat, ut secundum veritatem de actionum moralitate statuat, & ipsi actiones solummodo per se bonæ vel honestæ placent, displicant vero per se malæ vel in honestæ.

*Regula, cuius  
recordatio fa-  
ciliorem redi-  
dit execu-  
tionem officio-  
rum natura-  
lium erga po-  
steros.*

Sic

Sic itaque filum meditationum nostrarum de officiis hominis naturalibus erga posteros abrumpimus, quæ quidem eum in finem, ut publice ventilarentur, conscriptæ fuerunt, ast, nemine, qui partes Respondentis in se suscepisset, reperto, solo Authoris nomine in publicum prodierunt, ne quicquam ab eo desiderari queat, qui nullis calcaribus incitatus ad quævis officia, quæ muneris ratio postulat, præstanda, proætus est atque paratus.

### T A N T U M.



St 26445


ULB Halle

005 461 715

3







24 47

SPECIMEN  
JURIS NATURALIS  
OFFICIA HOMINIS  
NATURALIA  
ERGA  
POSTEROS  
Ex EXHIBENS;  
2644 R AUCTORE  
JOHANNE HENRICO WOLFART  
J. U. L. & Professore Publ. in Illustri Gymnasio  
Hanoviensi.

HANOVIAE, Typis Vidua JOH. CHRISTOPH. GEBAUER.  
M D C C X L I V.